



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia**

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam  
Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In  
Qvibvs Singlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo  
Continentvr Et Explicantvr ...

**Tomás <de Jesus>**

**Coloniæ Agrippinæ, 1684**

Capvt V. De exercitiis orationis, mortificationis & pœnitentiæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38621**

constitutiones, institutum, Sacramentorum usum admittit, nec non divinarum donorum abutuntur, inspirationem contemptum, & in divinarum misericordiarum beneficia ingratitude. Unde veram summam vilitatis, & miserie sue notitiam, & suppositum iniquam elicit abominationem & horrorem, firmumque concipiat propositum, nova poenitentia DEO illatam injuriam in se vindicandi, & tantae Majestati suppositae castigatione pro viribus satisfaciendi.

## CAPUT V.

## De exercitiis orationis, mortificationis &amp; poenitentiae.

PRIMUM exercitium erit orationis mentalis, quod miserie non solum auxilium praestat, sed reliquis omnibus dat vitam. Ordinaria orationis materia erunt horribiles cruciatus, tormenta, ignominiae, & opprobria, quae Christus Dominus pertulit pro salute nostra, lachrymosis oculis contempletur Dominum suum in Cruce, in magna paupertate, ab omnibus derelictum, contemptum, & omni modo afflictum: & intima compassione cor suum emolliat, & peccatorum suorum, quae DEUM cruci affixerunt gravitate ponderata, acris, & inextinguibilis poenitentiae aculeis compungere allaborat.

Quinam possunt affligi? Meditatio haec sufficiens erit ad verum, profundumque peccati horrorem alteri animo insculpendam, praeteritum vero, si pondere amoris JESU Christi, quo pro nobis tam amanter passus est, infinitam illam malitiam expendat, vivam etiam fiduciam in sanguine JESU Christi suorum peccatorum remissionem confidenter sperans, inter justitiae, & misericordiae divinae polos, se, metuque, rectae, regiaeque viae incedere poterit.

Hinc affectibus amoris in tantae erga se Misericordiae DEUM exardeat, qui indignum beneficium praevenerit, & dolorosissima sua Passione redimere dignatus est, & toto corde, totique viribus suis, singulare illud amoris debitum ardentissimo conetur amore recompenare, potius milles mori decernat, quam divinam illam majestatem, cui tot nominibus obstrictus est, ullo peccato offendere.

Exercendis potro & excitandis amoris hujus contritionis affectibus continuis Christi Domini cor pulset orationibus jaculatoriis, in has & similes ex incensi cordis ebullitione prorumpens aspirationes:

O Domine, quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, ut plorem die ac nocte ingentia, quibus nimium te offendi scelera, & peccata mea! O Pater amantissime, peccavi in celum & coram te, & idcirco non sum dignus vocari filius tuus, sed fac mecum secundum magnam misericordiam tuam. Misere mei DEVS, misere mei, quoniam in te confidit anima mea, & in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas à me.

Fateor Domine, fateor, quia: signus sum misericordiae tuae, spero tamen quia DEVS meus es tu, & miserationis tuae super omnia peccata mea: absolue me, munda me, o Christe IESU pretioso sanguine tuo, amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. O dulcissime IESU paenitet me, quia peccavi, ab hac hora destitor, ex toto corde peccata mea, utinam milles mortuus essem priusquam te offendissem.

Vilissimum etiam fuerit primis istis vitae Exercitiis principis, subinde aliquantum temporis tribuere meditationi poenarum infernalium, quas pro peccatis suis meritis est, nec non terribilis iudicii Domini, & districtae rationis reddendae, tantoque districtioris, quanto quis plura à Domino acceperit, memor aliquando ad futurum diem, in quo fortasse intonabit iudex, *serve nequam, redde rationem villicationis tuae*. Saepe etiam mortis meditationi attentè vacet, cuius horam citius adventuram fortasse, quam anni finem memoriae insculpat. Denique rerum & deliciarum omnium, saeculi huius vanitatem, quamque velociter omnia labantur, & intereant expurgata mentis acie bene consideret.

Modus hic incipientibus ordinarius & proprius est, sed non omnes hanc viam tenere compellendi erunt: sunt enim nonnulli, qui ex Conventibus perfectiori oratione dotati advenientes ejusmodi incipientium exercitiis non pari necessitate indigent.

At vero regulariter loquendo bonum erit, tam hos, quam illos primis vitae solitariis mensibus exercitari in modò dictis affectibus, poenitentiae, contritionis, cognitionis propriae, ponderationis peccatorum, tum in saeculo, tum in Religione commissorum, odii suipforum, quod ex propriae vilitatis cognitione ortum habens, totius mortificationis, & omnimodae suppositae abnegationis est fundamentum.

Orationis exercitia duo quasi continua vigent in isto deserto; unum orationis mentalis, de qua jam pauca diximus; alterum orationis vocalis, & officii divini: quod si debite exerceatur, medium efficacissimum est ad, tum in oratione mentali, ad quam vocalis ordinatur, tum in omnibus aliis virtutum exercitiis egregie proficiendum; sicut è contrario absque debita reverentia, & religiosa devotione choro interesse, offensa est in oculis DEI non modica.

Sanctus Bernardus *serm. 47. super Cantic.* quam optime Religiosos suos instruens, qualem in recitando divino officio modum tenere debeant; Moneo, inquit, vos dilectissimi pure semper ac strenue laudibus interesse divinis; strenue quidem, quatenus sicut reverenter, ita & alacriter Domino affistatis, non pigri, non somnolenti, non oscitantes, & vocibus non parentes, non praecedentes verba dimidia, nec integra transilientes, non fractis, remissisque vocibus, muliebri quiddam balba de nare sonantes, sed virili, ut dignum est, sonitu, & affectu voces Sancti Spiritus deponentes. Pure vero, ut nihil aliud, dum psallitis, cogitetis: nec solum cogitationes otiosae, & vanae, tunc sunt vitandae, sed etiam illae, quas fratres officii pro communi necessitate frequenter admittere compelluntur. Imo nec illas tunc consulo admittendas, quae paulo ante ex librorum inspectione inerant menti, quae quamvis salubres, non tamen tunc salubriter admittuntur. Etenim Spiritus Sanctus tunc gratum non recipit, quicquid aliud quam debes, neglecto illo, quod debes, obuleris.

Idem S. Bernardus reverentiam, qua officio divino interesse debemus, in hac verba eleganter expendit: O si quis oculos haberet, apertos videret, qua cura, quo gaudio, quanto tripudio Sancti Angeli intersunt psallentibus, adtunc oranti-

Modus in officii divini recitatione observandus.

Nota.

orantibus, inter sunt meditantibus, super sunt quiescentibus, ordinantibus, & procurantibus prae sunt. Certè agnoscunt suos concives, & pro iis, qui hereditatem capiunt aeternae salutis, sollicitè congaudent, confortant, instruunt, & provident eis. Hinc ergo attendite Angelos cum statis ad orandum atque psallendum: ipsi sine dubio devotionem vestram in caelos ferunt, & vobis gratias referunt: nihil in militanti Ecclesia ita repraesentat Ecclesiam triumphantem, sicut chorus psallentium concorditer ac devotè.

Quam dulcis autem, & suavis sit divini officii melodia iis, qui cum attentione & devotione, spiritu, & mente psallunt, egregiè docet S. Basilus in admonitione ad filium spiritualem. In tempore psalmodiae, inquit, sapienter psalle fili, & spirituales cantus vigilanter cane coram Domino, ut virtutè psalmodiarum facilius possis acquirere: Omnis namque duritia cordis, cum eorum dulcedine molliatur, tunc dulces habens fauces, gaudentque cantabis, *quam dulcia faucibus meis eloquia tua Domine, super mel & favum ori meo*! Sed non poteris sentire hanc dulcedinem, nisi cum summa vigilantia, & sapientia cantaveris. Fauces enim elcam gustabunt, sensus autem verba discernit: sicut enim ex carnalibus elcis alitur caro, ita ex divinis eloquiis interior homo pascitur ac nutritur.

E contrario in eos, qui negligentia, & repiditate sua, sine attentione & devotione laudes divinas cantare praesumunt, Sanctus Laurentius Justinianus jure merito invehitur de discipulo. Monasti. c. 17. cujus verba notatu dignissima, hic annexere operæ pretium duximus.

O quot nostris laudum sacrificiis inter sunt rapaces volucres aëris hujus caliginosi, ut ea fœdant illosionibus plurimis, ipsas autem nequaquam abigimus, sed tanquam & insensati, & sine corde, cunctis earum suggestionibus aurem praebemus. Multimodè namque maligni spiritus observant, ut rapiant psallentium corda, ab intentione divinae laudis, nunc enim obsecrorum, voluptuolorumque phanasma totum foetorem immittunt, ut psalmodiae suave polloant sacrificium. Nunc verba diripiunt, & intercidunt carmina, cum oscitate importunè, aut insensibiliter dormire faciunt. Nunc omnium membrorum ingerunt lassitudinem, ita ut nulla corporis pars illa esse videatur, omnis quippe mora tunc intolerabilis sentitur, hoc totum spiritui acedie operante in homine negligente. Nunc mentes psallentium, terrena negotia, & secularia gesta ingerendo distrahant, atque per abrupta, & devia noxiarum & inutilium cogitationum impellentes animum, totam dissolutionis oblationem; & pro dolor! cum ita callidè seducant, vix reperitur, qui hoc intelligat, & vincat.

O quam saepe, qui divinis occupantur in laudibus, solo assistunt corpore, & tanquam garrulae aves, sine interiori sensu emittunt verba. Detailibus per Prophetam Dominus dicit: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me*. O quoties tædio praegravata mens, ab omni gustu celestium cantionum jejuna pertransit; loquitur, & ignorat cui, clamor voce, nec seipsam intelligit, nec perspicit quid dicat, nam totaliter extra se erecta, atque velut amens effecta adversum se DEUM provocat vehementer. Nunquid hujusmodi sacrificio honorificatur DEUS? nunquid polluta laude effertur divina majestas? cor-

da quippe, non corpora, gustum mentis, non sonum vocis, affectum animi non linguae motum requirit omnipotens, Huc usque S. Laur. Justinianus.

Particulariter vero in vigiliis matutinis, quod tempus magis quietum & divinis laudibus aptissimum est, omnino conari debet Eremita, ut majori attentione, & fervore, cor, spiritumque in DEUM attollat, quod etiam docuit Dionysius Carthusianus lib. de vita & sine solitarii cap. 11. Ad divina sacra, id est, ad matutinale officium alacriter surgamus, affectu nos inchoemus, atque pro viribus ardentè prosequamur, folgeat menti lux interna, dum corpori obtenebratur claritas ista corporea, levet devotus ad Christum manus suas, & cor ad Dominum DEUM suum dirigatur, atque in ipso mens pura figatur. Et infra.

Denique nil potius in se homo confidens, omnemque sui virtutem à Christo expectans, permordialiter oris sui janitorem effliget, *Domine, inquit, labia mea aperies*. Moxque insuper, ut facilius exaudiat aperitionis hujus fructum innuans, & os meum, ait, *annuntiabit laudem tuam*. Continuo quoque TRINITATIS! per benedictæ hymnum adjuvens, *Gloria, ait, Patri &c.* Porro se, itemque omnia, quæ in ipso sunt ad confitendum, laudandum, benedicendum, ac magnificandum DEUM invitans, atque inflammans: *Venite, inquit, exultemus Domine*. Ab exordio igitur officii hujus ad Creatorem suum dirigendus est spiritus, & quemadmodum Sapiens docet: *Ante orationem*, inquit, *prepara animam tuam*. Non instabili, vagoque corde ordini debemus, sed menti divino aequo impresso in illius fervore inchoare par est, quatenus id mentem accendat, evagationem recipiat, & ad primævam intentionem reducat.

## C A P V T V I

De aliis exercitiis vitæ Eremiticæ exterioribus, & interioribus.

PRIMO ad debitam Regulæ nostræ observationem, quæ mandat, singulos in cellulis suis die ac nocte manere: cellæ custodiam stricte, omne observet Eremita, summa sollicitudine, omnes quantum possibile fuerit, evitans cellæ egrediendi occasiones; evagationes enim, & dissolutiones siue urgenti necessitate, multorum periculorum, & damnorum spiritualium aniam praebent. Quot, & quam magnæ sint, inclusionis & perseverantiae in cella utilitates & fructus, ostendimus in Commentariis super regulam nostram, adductis in eandem rem Sanctorum auctoritatibus, quatinus unam solam hinc adfero S. Bernardi ad Fratres de monte Dei. in hac verba: *Propter hoc secundum formam propositi vestri, habitantes in caelis potius, quam in cellis, exclusa à vobis toto saeculo totos vos includistis cum Deo. & infra*, Omnium bonorum officina est cella, & stabilis perseverantia in ea. Et paucis interjectis. Regat sanctæ obedientiae regula bonam voluntatem, illa vero corpus, & doceat illud posse consistere in loco, cellam pati, secumque morari; impossibile est hominem fideliter figere in uno animum suum, qui non potius alicui loco perseveranter affixerit corpus suum, Et denique infra addit.

Alia

Multis modis demones fructum devotæ psalmodiae tollere conantur.

Observa-  
tione  
cellæ spi-  
ritualia  
compo-  
di.

Omnis  
boni  
effici-  
entia  
et co-  
muni  
mora.